Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 507
Quelle:
Copyright:

que ab incertis autoribus perlata vix credibilia esse ob facinoris immanitatem videantur. Faciam quod amicum decet. Inde narrationem ingressus exponendis argumentis, quibus *Stephanus* ad Suorum concionem usus est, et Exterorum, qui tum in Urbe degebant, sensis plurimum immoratur. Refert tamen et Conjuratorum consilia, qui inter alia praedam sic adnumerabant: *ex pontificis domo et rebus CC. millia. ex collegio* (Cardinalium?) *CC. millia. ex mercatoribus atque aliis qui officiis presunt CC. millia. ex publicis horreis, salinaris, atque ex inimicorum ciuium fortunis centena millia.* Re detecta captum apud Sororem in scrinio *Stephanum*, antequam e muro Castri S. *Angeli* penderet, dixisse: *Obe tribus diurnis horis me superastis, nos uictoria in noctis vestibulo properans exspectabat.* Ita homo animo fortasse par fortuna infra *Nic. Gabrinum Rientium* fuit. Finit Noster, cujus tota Epistola lucem mereretur publicam: *Memini tempora Eugenii, audiui bonifacium et plurimorum pontificum aduersos casus non ignoro — Tum quid de tota re statuam, quid de me consilii capiam, nondum constat, preter id, ut ex temporum euentu consilia in diem capturus pendeam. Vale.* Adjectum in *Porcarium* Hexastichon.

V. *fol.* 98. *Arengna* (Harangue) *facta per dominum franciscum petrarcham poetam laureatum in Ciuitate Nouarie coram populo eiusdem ciuitatis et presente Magnifico domino galeaz de vicecomitibus de mediolano dum dicta ciuitas fuisset rebellis ipsi domino, reducta ad obedientiam dicti domini Galeaz MCCCLVI. XVIIII. Junii.* *Petrarcham* desertis *Vallis Clausae* deliciis an. 1352. in *Italiam* patriam demum reversum in clientelam *Vicecomitum Mediolanensium* concessisse, ab iisque variis negotiis publicis adhibitum fuisse novimus. Turbas *Novariensis* per Marchionem *Montis Ferrati* ab Optimatibus *Joh. Savio* et *Opic. Torniello* in urbem inductum exortas narrat ejus urbis Notarius *Petr. Azarius* T. XVI. *Scriptt. Rer. Ital.* Rebus itaque compositis habita haec *Adlocutio*, quam sacros Oratores sui temporis imitatus ita ingressus est Noster: *Conuertetur populus meus hic.* Ps. 72. *Et propter domini praesentiam et propter tarditatem hore et quia nec predicator sum, nec (vt verum fatear) nisi propter obedientiam hijs actibus delector, sciens hodie sollemnitates predicantium ceremoniasque pretereo* &c. Duas mox sibi Partes constituit: *quarum prima continet actum correctionis laudabilis, quia* conuertetur. *Secunda continet pactum possessionis amabilis, quia* populus meus. *Leonardum* aliquem *de Utino*, *Robertum*ve *Caraczolum* loqui credas; verum exerit se mox *Petrarchae* in omnem antiquitatem expatiantis eruditio et Classicorum usus. *Novariae* Dominium a *Matthaeo* seniore *Vicecomite* usque ad praesentem deducit *Galeatium* II. *Novariensis* vero excusat